



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 61. Ludovicus Sfortia Fœdifragus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A. C. 1495. repulsam dante, Carolus die decima quinta Octobris Tridino profectus, vigesima septima ejusdem mensis Gratianopolim pervenit, ubi adversa aliquot dierum valetudine detentus, nonnisi septima Novembris Lugdunum præsentia sua honoravit suis duntaxat aulicis stipatus; ceteri enim Galli ad suam quisque Provinciam reversi sunt.

§. LXI.

Ludovicus Sfortia fœdifragus.

Ludovicus Sfortia, recuperata tandem Novarra, datæ fidei immemor Genuam sibi vendicavit, nec triremes, nec naves ibi repertas restituit, tantumque abfuit, ut hisce navigiis cursum Neapolin versus prosequendi libertatem concederet, quin etiam eorum ministerio ad subvehendum in arces com meatum uteretur, eaque classi suæ utramque hanc arcem obsidenti adjungeret; quo facto Caroli res in Neapolis Regno summo perire deficere, ex adverso Ferdinandi spes plurimum crescere videbatur; hic enim cum quasdam adhuc urbes in sua fide retinisset, ut faciliori negotio regnum suum recuperaret, clam cum Venetis foedus pepigit, quo pollicitus est, se maritimas urbes, quas in Apulia denuo occupaturus esset, Venetis pignoris loco cessu-

cessurum, donec ipsis summa expensas Sæcul. XV. A.C. 1495.
 adæquans inde proveniret. Placuerunt Venetis hæ conditiones, forte quia Gallos ex Italia pellere firmiter decreverant, aut quod facilius sub Principe imbecilli, qualis erat Ferdinandus, quam sub Galliarum Rege votis suis potiri sperassent. Ergo Marchio Mantuanus cum copiarum reliquiis, quæ ex Fornoviensi clade supererant Neapolis oram relegit, Brundisium, Hydruntum occupavit, ceterasque omnes urbes, quæ Venetorum rebus magis opportunæ erant, cepit excepto Tarento, quam urbem Sullyus invicta animi fortitudine tuebatur.

§. LXII.

Venetorum atque Hispanorum consilia de redintegrando Ferdinando.

Hispani primis hisce blandientis fortunæ auspiciis stimulati, Venetorum conatibus favere aggrediuntur, ac unum cum Ferdinando, qui hucusque in Ænaria, quæ est Siciliæ Insula, agebat, Messinæ naves conscendunt, ceterisque copiis, quæ terra procedebant, Consalvum Fernandez de Corduba præficiunt, Virum, qui in nupero Granatensi bello ante alios longe eminuit, ac ob fortitudinis

Guicciard.
 hist. Ital. l. 2.
 Paul. Jov.